

DE CRIMINE PESSIMO ET DE COMPETENTIA S. OFFICII RELATE AD ILLUD

DE CRIMINE PESSIMO ET CAN. 2358, 2359 (I)

Refert S. Scriptura sanctissimum illum virum, Joseph, Jacob Patriarchae filium, dum "adhuc puer sexdecim annorum esset... fratres suos apud patrem *crimine pessimo* accusasse" (2). In quo huiusmodi delictum specificè consisteret, sacer auctor silentio premit. Moyses enim noluit illud nominare quia horrendum, pudendum, infame (3); et theologi et exegetae verba illa Genesis non uno modo interpretantur (4). Quare propriam et specificam illius peccati malitiam moralem certo non cognoscimus. Sed neque de ea hic investigare vacat; nostrum quippe propositum solum est aliqua exponere de *crimine pessimo*, non in sensu pure morali, sed in sensu

(1) Can. 2358. Clerici in minoribus ordinibus constituti rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniuntur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit.

Can. 2359. § 1. Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinari, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181.

§ 2. Si delictum admiserint contra sextum Decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, oestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinis in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, et in casibus gravioribus deponantur.

§ 3. Si aliter contra sextum Decalogi praeceptum deliquerint congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

Clr. de *crimine pessimo*, inter alios, LÓPEZ, U., in *Periodica de re morali canonica liturgica* 27(1938)32-35; AERTNYS-DEMEN, *Theol. Mor.*¹³ I, 626, Romae (1939), p. 449; IORIO, THOMAS A., *Theol. Mor.*⁶ II, 286 Neapoli (1939), p. 174; FERRERES, I. B., *Theol. Mor.*¹⁶ II, 699, N. B. 2, Barcinone (1940), p. 394; F. REGATILLO, E., *Inst. I. C.*, II, 1106 s., *Sal Terrae* (1942), p. 422; B. T. in *Resurrexit* 5(1915)18.

(2) GEN. 37, 2.

(3) ABULENSIS apud A. LAPIDE, *Comment. In S. Script.*, I, Ed. Vives, Paris (1868), p. 357.

(4) Nomine "*Crimine pessimo*" Gen. 37, 2 quidam intelligunt *odium fraternum*, ut NIC. DE LYRA, *Comment. in h. l.* ed. Lugd. (1545), f.º 101 v.; alii murmuracionem contra patrem, eo quod iuniorum, Ioseph, praeferebat, apud A. LAPIDE, l. c.; sed communius vel "*peccatum bestialitatis*" cum Glossa interlineari et S. THOMA 2-2 q. 154 a. 12 ad 4; vel crimen *sodomitici sceleris* cum RUPERTO, ABBATE TUTIENSI, *De Trinit. et oper. eius in Gen.* libr. VIII, cap. 19; ML 167, 505; HÜMMELAUER, *Cursus S. Script., Comment. in Gen.*, Paris (1895), p. 256.

iuridico, sc., prout est delictum contentum in can. 2358 et 2359 et cuius COMPETENTIA ad S. Officium spectat.

I. QUID EST CRIMEN PESSIMUM

I. Non omnia *immoralitatis* delicta in praedictis canonibus enumerata: v. g. incestus, adulterium, fornicatio, etc., sunt de competentia illius Supremi Tribunalis, sed peccatum turpe commissum vel attentatum a CLERICO cum persona *eiusdem sexus*. Hoc autem peccatum comprehenditur a S. Officio nomine "CRIMINIS PESSIMI" et ab hoc S. Tribunali ita definitur: "Nomine *criminis pessimi* heic intelligitur quodcumque obscenum factum externum graviter peccaminosum, quomodocumque a CLERICO patratum vel attentatum cum persona propii sexus."

Annotationes

Plura in huiusmodi delicti definitione, quam omnes unanimiter tradunt, considerata sunt elementa:

a) *Subiectum*, et est quivis CLERICUS sive simpliciter tonsuratus sive in minoribus aut in sacris constitutus.

b) *Complex* vel persona, quacum delictum committitur, est vir, mas.

c) *Obiectum* est "quodcumque obscenum factum externum *graviter* peccaminosum" et "quomodocumque a CLERICO patratum vel attentatum".

Hinc clare elucet "*crimen pessimum*" restringi non posse ad actum *perfectum* sodomiae, prout quidam Canonista primae notae putavit ac scripsit. Ad can. 2359, § 2: *bestialitatem, sodomiam* iunctim can. 2228, ubi legitur: "Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in *suo genere perfectum* secundum proprietatem verborum legis", statuit ille auctor *crimine pessimo* secundum ius vigens non posse venire nisi "sodomiam perfectam" ac bestialitatem perfectam. Huic interpretationi aperte contradicunt allata ipsius Sancti Officii verba.

d) "*Ex praxi* S. Officii haec definitio *late* intelligitur. Unde 1) *ex parte obiecti* "comprehendit actus etiam imperfectos, uti oscula, amplexus, tactus, aspectus, etc., qui *ex libidine* peranguntur": 2) *ex parte affectus*, "in foro externo, posito actu externo, voluntas libidinosa seu "dölus" praesumitur" (5). Quod tamen ita intelligendum videtur. Ex actibus impudicis,

licet *in se* indifferentibus (secus nunquam liciti essent), alii dicuntur *de se* libidonisi, sc. qui natura sua ad venerem ciendam tendunt: v. g. tactus, aspectus in verendis; alii, non *in se libidinosi*, at saepe ad veneream delectationem excitandam adhibiti, utpote quae ex iis facile oritur: v. g. amplexus, oscula in partibus quoque honestis habita. Ideo CLERICUS tales actus sine ulla proportionata causa exercens, si de *crimine pessimo* denuntietur, se immunem fuisse a *libidinoso affectu* probare tenetur. Aliter dicendum si illos ex iusta causa posuit.

Iam vero haec iusta causa a) quoad actus *de se* libidinosos ponendos est necessitas, ut medicis, qui alicui morbo medentur; b) quoad oscula, amplexus, manuum contrectationem secundum probatos auctores adesse censetur, cum, attentis regulis moris regionalis, urbanitatis, bonae amicitiae, etiam viri vinculo sanguinis devincti et boni amici amplexus et oscula sibi mutuo praestant, praesertim si id fit in publico, sine ullius offensione, a personis quoque honestis; pariter cum blanditias, oscula, etc. ex nostra humanissima comitate impuberibus (saltem infra decennis) coram eorum parentibus vel aliis personis honestis veluti obsequium quoddam exhibemus.

Itaque ubi secundum sanum viri prudentis timorataeque conscientiae iudicium actus externus positus *nullam fundatam suspicionem* libidinosae voluntatis pandit, ibi sermo de "delicto" commisso moveri nequit. Quod locum habet de actu posito sive circa puberem sive circa impuberem; et hoc, etiamsi definitio criminis pessimi *late* intelligi debeat.

c) *Patratum vel attentatum*, quia non requiritur ut delictum ex utraque parte consummetur; satis enim est attentatio ex parte CLERICI sine ulla personae sollicitatae complicitate.

2. Ad hoc autem delictum addendum est etiam "quodvis obscenum factum externum graviter peccaminosum, quomodocumque a CLERICO patratum vel attentatum cum *impuberibus cuiusque sexus* vel cum *brutis animalibus*". "Quod delictum etiam est de competentia Tribunalis S. Officii" (6).

Perpende censerī impuberem: masculum infra decimum quartum, feminam vero infra duodecimum annum completum (can. 88, § 2). Reliqua huius delicti determinare necesse non est, cum ea cuique consideranti facili pateant ex dictis.

3. Aliqui verius non includunt in *crimine pessimo* quaevis "facta obscena (etiam externa, graviter peccaminosa) quomodocumque a clerico pa-

(5) IORIO, LÓPEZ U., FERRERES, REGATILLO, II. CC.

(6) REGATILLO, AERTNYS-DAMEN, II. CC. ET ALII.

trata vel attentata "cum impuberibus cuiusque sexus"... et "bestialitatis", eaque aequiparant illi, sed pro effectibus poenalibus" (7); licet auctores (8) generatim sub *uno* crimine pessimo etiam haec ipsa facta obscœna *absolute* comprehendant et sine limitatione ad solos *effectus poenales*. Huius rei dilucidatio practici et haud parvi momenti est, ut patet ex I, d). At exspectemus AUTHENTICAM lucem, ut in eius claritate ambulemus.

II. ALIA IN CRIMINE PESSIMO CONSIDERANDA

A) COMPETENTIA CIRCA CRIMEN PESSIMUM

Competentia circa hunc delictum reservatur S. Officio, quatenus semper de eo cognitionem habere debet, Nam.

a) si *criminis pessimi* denuntiatio apud tribunal dioecesanum fiat, hoc certe competens est ad hanc materiam iudicandam, et causam agitare et resolvere poteet; sed de ea S. Congreg. Sancti Officii certiore reddere debet;

b) si CLERICUS huius delicti reus *primo et directe Santo Officio* denuntietur, hoc causam instruit et de ea more proprio decernit;

c) si denique apud S. Congr. Concilii vel de Religiosis, quae cleri saecularis et regularis disciplinam respective tutantur, accusatio proponatur, haec ab illis ad S. Officium mittitur; nulla enim aliâ S. Congregatio vel Tribunal Romanum praeter hoc Supremum Tribunal competens est in his causis agitandis.

d) Idem dicendum est, quando ex tribunali dioecetano interponitur recursus ad S. Sedem. Ideo dicebamus competentiam super crimine pessimo S. Officio reservari.

B) COMPETENTIA S. OFFICII RELATE AD CRIMINA IN CAN. 2559

ENUMERATA

Ex datis definitionibus *delicti pessimi* liquido patet competentiam S. Officii non extendi ad omnia delicta contra sextum Decalogi praeceptum in

(7) B. T., I. c.

(8) AERTNYS-DAMEN, *Theol. Mor.* I, 626: "Nomine autem delicti pessimi secundum ipsius S. Officii definitionem hec intelligitur: "Quodcumque obscœnum factum externum graviter peccaminosum, quomodocumque a clerico patratum vel attentatum cum persona proprii sexus; sicut etiam quodvis obscœnum factum externum graviter peccaminosum quomodocumque a Clerico patratum vel attentatum cum impuberibus eiusque sexus vel cum brutis animantibus". Eadem habent IORIO, LÓPEZ, U., II. cc. et alii.

citato canone contenta, quae gravissimis poenis plectuntur; immo nec omne peccatum obscœnum a CLERICIS commissum "cum minoribus sexdecim annorum": v. g. fornicatio cum puella tredecim annorum, cadit sub ambitu competentiae, de qua nunc loquimur, illius Supremi Tribunalis; talia enim delicta, exceptis commissis a CLERICIS *cum viro pubere vel impubere, cum femina impubere et cum brutis animantibus*, non veniunt nomine criminis pessimi (9). Quare tribunal dioecesanum, absoluta causa super quocumque alio delicto obscœno enumerato, certius de eo S. Officium reddere non tenetur.

C) MODUS PERTRACTANDI CAUSAM CRIMINIS PESSIMI

PROCEDURA IN HAC CAUSA adhibenda est eadem, mutatis ex natura rei necessario mutandis, ac procedura adhibita in *crimine sollicitationis* in confessione. Ideo

1) denuntiatione vel recursu apud S. Sedem interpositis, "S. Officium in his causis agitandis procedit eodem modo ac in delicto *sollicitationis*, i. e., forma iudiciali, huic processui propria, et summa cum severitate". Eadem processus forma servanda est a tribunali dioecetano, si causa apud ipsum proponatur. Cf. AA. in nota (I) citatos.

2) *unicum discrimen* est in hoc: Quod in crimine *sollicitationis* in confessione confessarius *ex lege positiva Ecclesiae* monere debet poenitentem sollicitatum de obligatione, sub poena excommunicationis l. s. nemini reservatae, denuntiandi reum intra mesem loci Ordinario vel S. Congregationi S. Officii (10); dum in *delicto pessimo*, nisi hoc cum peccato *sollicitationis* in confessione neclatur, talis obligatio denuntiandi reum *ex lege positiva* non imponitur (11). Itaque nulla excommunicatio incurri potest propter omissio-

(9) En delicta specifica in citatis canonibus enumerata:

a) In Can. 2358, qui agit de CLERICIS in *minoribus* constitutis, nullum specificè delictum enumeratur; sed tantum pro *gravitate culpae* CLERICUM puniendum esse statuit.

b) In Can. 2359, qui CLERICOS in *sacris*, sive saeculares sive religiosos, respicit, memorantur sequentia delicta turpia, quae ad rem nostram ita distribui possunt:

c) In § 1: concubinitus; in § 2: adulterium, stuprum, lenocinium, incestus cum consanguineis et affinibus in primo gradu (et fornicatio cum puella pubere, i. e. a duodecimo anno completo, can. 88 § 2). Haec autem delicta non sunt de competentia S. Officii, prout supra explicata est.

d) In eadem § 2 continentur etiam: *Sodomia, bestialitas, "delictum contra VI Decalogi praeceptum cum minoribus infra sexdecim annos"*. In hoc ultimo delicto competentia S. Officii *contrahitur ad mares, et ad impuberes feminas*. Unde competentia huius S. Tribunalis relate ad delicta in can. 2358 et 2359 enumerata restringitur, ut notatur in textu, ad "quodvis obscœnum factum graviter peccaminosum quomodocumque patratum, vel attentatum a CLERICO cum masculo *pubere vel impubere*, cum femina *impubere* et cum *brutis animantibus*".

(10) Can. 904 et 2368 § 2.

(11) REGATILLO, LÓPEZ, U., IORIO, FERRERES, II. cc. et alii.

nem denuntiandi reum *criminis pessimi* in casu, quo quis ratione *iuris naturalis* ad id teneatur.

D) OBLIGATIO DENUNTIANDI REUM CRIMINIS PESSIMI

CLERICI, huius criminis rei, denuntiatio

a) *fieri potest* a quolibet fidei, qui delictum et reum certo cognoscat, "ad scandali et mali reparationem" (12).

b) *fieri debet*, ipsa *lege naturali* obligante, quoties adsit periculum corruptionis innocentium, vel status clericalis magno dedecore maculetur, vel fidei et religionis detrimentum aut alium malum publicum immineat (13); si pericula relabendi non arceantur; si nulla spectetur emendatio rei.

c) MODUS DENUNTIATIONEM FACIENDI similis *esse potest* illi, qui in casu sollicitationis in confessione usurpatur, videlicet: si denuntiatio fit Ordinario loci, fiat oretenus si possibile est; secus litteris a denuntiante subsignatis et duplici involucre inclusis. Internum clausum sic inscribatur: Excmo. ac Revmo. Episcopo: de secreto S. Officii.—Si denuntiatio fit S. Officio, in involucre interno inscribatur: Emmo. e Revmo. Cardinale Segretario della S. Congregazione del Santo Uffizio; et in involucre externo repetatur eadem inscriptio, addendo: Palazzo del Santo Uffizio, Via del S. Uffizio, Roma.

ANIMADVERSI O

Confessarii et sacerdotes, antequam obligationem denuntiandi imponant seu declarent vel denuntiationem fieri permittant, moraliter certi sint oportet de commissione vel attentatione *delicti pessimi* deque aliis circumstantiis prae oculis habendis, prout recta prudentia suadet et probati auctores tradunt.

E) POENAE (14)

DENUNTIATIONE PROPOSITA

1.° *Apud Sanctum Officium:*

Ipsam S. Tribunal, suo more institutoque procedens sibi que propriam

(12) Can. 1935 § 1.

(13) Can. 1935 § 2.

(14) Ad impositionem poenarum in foro externo, nihil refert, ut notum est, quod reus facti poenitens, in foro sacramentali absolutionem sui delicti obtinuerit

consuetudinem retinens, poenas, quae sibi videbuntur iustae, contra huius criminis reum decernet.

2.° *Apud tribunal dioecesanum:*

a) CLERICI MINORES pro gravitate culpae puniri possunt:

1) Poenis in can. 2357 contentis;

2) dimissione e statu ecclesiastico (can. 2358) (15).

b) CLERICI IN SACRIS CONSTITUTI, sive saeculares sive religiosi; possunt:

1') suspendi;

2') infames declarari;

3') quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, privari;

4') et, in casibus gravioribus, deponi (can. 2359, § 2).

Insuper, tribunal dioecesanum S. Officium de eo delicto instruere tenetur.

Haec procul dubio de actibus saltem consummatis intelligenda sunt.

Actus imperfecti seu impudictiae libidinosae (16) puniri possunt:

a') congruis poenis (arbitrariis) secundum casus gravitatem;

b') non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant (can. 2359, § 3). Addi etiam poterunt aliae poenae in praecedenti § 2 enumeratae, praesertim suspensio a confessionibus audiendis, immo a qualibet cura animarum, quae haud raro est unicum medium sufficiens ad iterationem delicti impediendam.

c') res S. Officio nota fiet.

III. CUR HAEC TRIA CRIMINA SINT RESERVATA

Si motivum convenientiae huius reservationis quaeras, fortasse in speciali illorum delictorum gravitate et in punitione eorum apud tribunalia civilia illud invenies.

(15) Cf. NORMAS S. Congr. de Semin. et Stud. Univ. *pro Directoribus spiritus in Seminaris* (Prot. n. 419-43, III n. 5) ubi haec habet: "Debe ser excluido en cualquier tiempo, sin dilaciones ni concesiones de ultiores pruebas, cualquiera que hubiese cometido, aunque fuese un solo pecado con persona de otro sexo, o bien con un compañero, después de su ingreso en el Seminario." Traducción del Colegio Español de Roma. NB Hae Normae, licet sint, saltem nunc, *mere directivae*, ostendunt tamen *severitorem* mentem Ecclesiae in hac re cum candidatis ad statum clericalem et quaestionem nostram illustrare possunt. Cf. pariter quod dispositum est pro alumnis Seminaris in Prov. Eccl. Mediolanensi, ubi fere eadem viget dispositio: *Normas para el Director Espiritual del Seminario*, etc. n. 1, apartados 3 y 4. Milán, 1 Abril 1936, publicadas por el Excmo. y Revmo. Sr. D. MANUEL MOLL, A. A. de Lérida (hoy obispo de Tortosa), en Lérida, 8 de diciembre de 1939.

(16) Cf. EICHMANN, Das Strafrecht des Codex I. C. p. 194; REGATILLO, Inst. I. C. II, 1105, 3.

1.° *Quoad bestialitatem.*

Hoc nefandum crimen, in quo debita non servatur species, est omnium peccatorum luxuriae, etiam contra naturam, gravissimum (17). Alia peccata turpia appellantur peccata humana; bestialitas audit "vitium non humanum", quasi qui tali flagitio foedatur, non solum omnem pudorem sed etiam naturam ipsam humanam exuere videatur. Ideo Angelicus docet (18): "Quod bestialitas differt a malitia, quae humanae virtuti opponitur per quemdam excessum circa eandem materiam", sc.: alia peccata carnalia concluduntur in malitia luxuriae ex oppositione ad castitatem, bestialitas autem eam superexcedit.

¡Cogita nunc statum ecclesiasticum castitate sacratum (19) tam execrando dedecore ex tam abominabilis et abiectae luxuriae excessu deturpatum, et videbis specialem gravitatem in hoc crimine contentam!

Adde formidandum scandalum, si CLERICUS apud Tribunalia civilia forte de hoc scelere accusatus, ignominiosam damnationis sententiam subiret (20).

2.° *Quoad Sodomiam:*

Sodomia post bestialitatem aliis luxuriae peccatis gravior est. Adversatur quoque naturae, utpote accessus, maxime in nostro casu, ad indebitum sexum (21). De sodomitis ait S. Scriptura, quod "pessimi erant et peccatores coram Domino nimis" (22); et Paulus (23) hoc nefandum crimen tamquam ignominiam passionum humanarum exhibet. Mirum igitur non est huiusmodi abominationem gravissimis poenis tam in V. Testamento (24) quam in nationibus christianis sancitam fuisse (25).

Sed opinio hodierna inter homines cultos non est mitior erga sodomi-

tas. Ii enim, sive poederastae sive homosexuales sive alio modo appellentur, apud omnes nationes civiles reputantur uti viri turpissimi, moris publici corruptores, sine pudore, sine honore, sine dignitate, vilissimo atque abiectissimo nomine mulctari. E contra, CLERICI eximia sanctitate, excelsa dignitate et speciali reverentia erga ipsos inter homines praeferuntur debent.

¡Cogita iterum statum ecclesiasticum, vi huius nefandi sodomiae flagitii, in sua sanctitate commaculatum, ex arce suae excelsae dignitatis deiectum et sociali vilipendio expositum, et specialem in eo gravitatem pariter invenies!

Adde in hoc crimine ex parte CLERICI semper intervenire et culpandam complicitatem et scandalum saltem comparti datum. Quid dicendum si Clericus, violata delicti clandestinitate, ut sodomita publice reveletur et poenis a tribunali civili puniatur?

NB. Quod sequenti n. 3.°: "Quoad relationem carnalem CLERICI cum puella impubere dicendum est, locum habet relate ad peccatum cum puero impubere vel infraduodenne, quia in legibus poenalibus civilibus, eodem modo prohibetur et punitur actus carnalis cum utroque impubere. Et fortasse ob hanc rationem in 2.° parte definitionis criminis pessimi dicitur: "Quodvis obscenum factum graviter peccaminosum... a CLERICO patratum vel attentatum cum impuberibus cuiusque sexus."

3.° *Quoad relationem carnalem CLERICI cum puella impubere.*

Licet talis relatio turpis sit iuxta naturam, specialis tamen gravitas in ea agnoscitur. Debilitas rationis in tam tenera aetate; non satis evoluta capacitas ad discernendam actus carnalis gravitatem et transcendentiam non solum moralem sed etiam physiologicam et sociale; defectus exinde, quasi congenitus, firmitatis voluntatis et aliae condiciones talis aetatis propriae constituunt puellam infraduodennem in gradu inferioritatis psychicae vel physicae resistendi suggestioni complicitis. Ob hanc rationem iura civilia copulam cum impubere in se considerant tamquam actum luxuriae qualificatae, sc.: ut feminae violationem et oppressionem, quamvis puella infraduodennis sponte, sine violentia, sine intimidation vel fraude in actum carnalem consenserit. Ideo complex etiam in casu huius liberae et voluntariae acceptationis puellae punitur poenis oppressoris.

Satis est, ne plura congeram, verba nostri novissimi Codicis Poenalis afferre:

(17) S. THOMAS, 2-2 q. 154 a. 12 ad 4.
 (18) Ibid. a. 11 ad 2.
 (19) Can. 132 § 1.
 (20) Cf. SURLER, *La moralidad en sus relaciones con la medicina y la higiene*, c. 12. La bestialidad, Barcelona (1937), p. 193-95.
 (21) Gen. 19, 4-11.
 (22) Ibid. 13, 13 coll. 19, 4-11.
 (23) Rom. 1, 26-27.
 (24) Lev. 18-22 coll. 20-13.
 (25) Conc. Toletatum XVI (693) poenam degradationis pro clericis statuit. Leges civiles nationum christianarum:
 a) ANGLICA, quae, ut ait Blackstone, sodomiam his verbis designans: "Peccatum illud horrible inter christianos non nominandum", poena capitali puniebat;
 b) GALLICA, sodomitam flammis vivum addicebat;
 c) HISPANICA, illum: 1.° in rogum mittebat; 2.° confiscatione omnium bonorum mulctabat; 3.° speciali processu pro criminibus haeresis et laesae Maestatis adhibito iudicabat (Pragmat. Regum Catholicorum, 22 augusti 1497, Metinnae a Campo lata); cf. *Encicl. Espasa*, v. Sodomia p. 1409-10. Pro punitione sodomitarum in nostris diebus, cf. ANTONELLI: *Medicina Pastoralis* II, 297; Cod. *Poenal. Chitense*, art. 365, et Codices nota (26) citandos.

Art. 429: "La violación de una mujer será castigada con pena de reclusión menor.

Se comete *violación* yaciendo con una mujer en cualquiera de los casos siguientes:

- 1.º Cuando se usare de fuerza o intimidación.
- 2.º Cuando la mujer se viere privada de razón o de sentido por cualquier causa.
- 3.º Cuando *fuere menor de doce años cumplidos*, aunque *no concurre ninguna de las circunstancias expresadas* en los números anteriores" (26).

Iam vero, si *Iura civilia* in hoc accessu turpi cuiusvis viri, etiam ipsa puella impubere consentiente, *crimen violationis agnoscunt et puniunt*, quid mirum quod Ecclesia specialem gravitatem in tali *delicto* inveniat respectu CLERICI illud patrantis?

Insuper, huius flagitii reus, ideoque et CLERICUS si ita sit, apud tribunalia deferri potest non solum a puella, quamvis sponte in illud consenserit, sed etiam ab ascendentibus, fratribus..., etc. (27). Iudices autem civiles in fere omnibus nationibus, sive quia in aliis privilegium fori ex concordato vel consuetudine abrogatum est (28), sive quia in aliis hoc non agnoscitur, CLERICUM fornicarium cum infraduodenne ad sua tribunalia trahent eumque tamquam *feminae oppressorem* et forte etiam uti *eius corruptorem* damnabunt. Cogita igitur infamiam pro statu ecclesiastico orienturam et scandalum pro fidelibus ex hac damnatione sequendum et habebis motivum speciale reservationis etiam pro hoc peccato.

4.º *Quoad tactus, oscula, amplexus*, etc.

Recte praxis S. Officii intelligit *late* criminis pessimi definitionem per extensionem ad tactus, amplexus, etc., qui ex *libidine* peraguntur. Quia praedicti actus et aliae impudicitiae ex *affectu libidinoso* quaesita et posita:

(26) *Boletín Oficial del Estado*, año X, n. 13, p. 459.—Hic art. adamussim concordat cum art. 431 C. *Poenal*. praecedentis, die 27 oct. 1932 promulgatum.—Eadem statuunt CC. *Poenales*: 1) *Lus.*, a. 391; 2) *Arg. et Parap.*, a. 119; *Bol.*, a. 419 et alii Republic. hispano-americanae. Extendunt aetatem puellarum: a) *Gall.*, a. 331 infra 13 an.; b) *Ital.*, a. 519 infra 14; c) *Belg.*, a. 372 infra 16, et *Sinen.* (a. 1935), "licet ethnicus", a. 221 infra 14. Eadem censura notatur crimen raptus *libidinosi* puellae impuberis in CC. *Poenal*. Cf. v. g. a. *Hisp.*, a. 440; b) *Lus.*, a. 395; c) *Ital.*, a. 524; d) *Arg. et Parag.*, a. 131, etc.

NB. Il fere omnes Codices in aa. citatis eandem poenam statuunt adversus eos, qui cum pueris maribus praedictae aetatis actus turpes exequentur.

(27) *Código Penal español*, art. 443: "Para proceder por los delitos de *violación*... bastará denuncia de la persona agraviada, ascendiente, hermano, representante legal... Ministerio Fiscal... cualquier Tribunal Tutelar de Menores..." Similem dispositionem continent alii Codices Poenales allati.

(28) V. g. in Belgio, Gallia, Germania, etc. Cf. VERMEERSCH, *Epil. Iuris Canon.* I; 209; III, 540.

a) "sunt peccata mortalia" (29).

b) *reducuntur ad peccati turpis speciem ad quam disponunt* (30), sc. in nostro casu ad crimen pessimum, sicut tactus turpes ex *pravo affectu* habiti cum coniugata vel consanguinea *reducuntur ad adulterium vel incestum*.

IV. QUID SI SUPERIORES RELIGIOSI CONTRA ALIQUOD FAMILIAE RELIGIOSAE MEMBRUM, REUM CRIMINIS PESSIMI, AGERE DEBEANT?

a) Ipsi certo procedere non possunt *in forma iudiciali*, sive talis processus in dimissionem rei (31), sive in meram ipsius punitionem tendat. Nam canone 501, § 2, statuitur: "Superioribus [religiosis] quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant". Hic canon saltem de *causis iudicialibus stricte dictis* et de processibus *instituentibus* intelligi debet.

b) Possunt tamen Superiores religiosi *via administrativa* decernere necessaria:

- 1) ad removendum scandalum;
- 2) ad tollendam occasionem proximam;
- 3) ad iterationem delicti praecavendam;
- 4) et, nisi S. Officium aliud statuerit, ad rei punitionem procedere.

Ceterum de competentia Superiorum religiosorum hac in re haud unum restat dubium; at exspectandum est, quid S. Sedes in decursu temporis definitura sit.

V. QUID SI CLERICUS PENES LOCI ORDINARIUM DE CRIMINE PESSIMO FORTE ACCUSETUR

Responsum patet ex dictis. Ordinarii enim locorum in hoc casu, omnibus unanimiter fatentibus:

a) COMPETENTES SUNT, non obstante S. Officii reservatione, ad processum instituendum contra talem delinquentem, eumque pro gravitate sceleris puniendum;

(29) S. THOMAS, 2-2 q. 154 a. 4.

(30) MERKELBACH, *Theol. Mor.* II, 1005.

(31) Cf. Can. 654 sq.

b) ET SI PROCESSUM INSTITUUNT, *servare debent proceduram in crimine sollicitationis adhibitam*, mutatis tantum pro natura rei necessario mutandis; siquidem hae normae observantur a S. Officio in agitatione causae adversus CLERICUM criminis pessimi reum. Nunc autem Ordinarii locorum, cum praedictas normas a S. Officio iam acceperint, easdem in processu instituendo adhibere debent, ut patet ex expresso praescripto can. 1555, § I: "Inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectant, *normas ab eodem traditas sequantur oportet.*"

Nec obstat hanc S. Officii praxim non fuisse promulgatam in AAS siquidem hoc necessarium non est

a) PRO ORDINARIIS LOCORUM; nam S. Officium suam praxim satis cum ipsis communicat traditione ipsa normarum ad processum instituendum et iubens illis eas observare, sive sint normae speciales pro hoc casu, sive sint *generales contra delictum sollicitationis*, additis tantum notulis vel appendicibus pro mutationibus specificis necessario faciendis.

b) NEC PRO CLERICIS, quia S. Officium in sua praxi promulganda aliud medium diversum ac per editionem in AAS (can. 9) eligere potuit, ut de facto elegit tradens (a. 1937) (32) romanis Theologiae Moralis Magistris parvam "INSTRUCTIONEM" seu "PRO MEMORIA" *cum conceptu criminis pessimi eiusque reservatione ad S. Officium facta et forma processus contra delinquentes adhibenda*, ad hoc ut horum notitia inter clericos spargeretur. Quod ex tunc temporis usque nunc satis superque impletum est per diversa media, speciatim

1) PER MANUALES Theologiae Moralis et Iuris Canonici, qui uti textus in scholis a Magistris adhibentur et de hoc scelere sermonem habent;

2) PER LECTIONES Magistrorum Theologiae Moralis *super crimine pessimo* in Universitatibus Ecclesiasticis, Seminariis et in aliis scholis habitas, quarum notitia a discipulis hausta sine dubio cum aliis clericis communicata est;

3) PER SCRIPTA DE HAC re in ephemeridibus edita;

4) PER RELATIONES HUIUS FLAGITII factas in consessibus sacerdotum occasione cum exercitiorum tum alius causae habitis, adeo ut *notitia criminis pessimi et formae eius processus* inter clericos hodie universaliter divulgata censeatur. (33).

(32) Cf. REGATILLO, I. C., qui eundem annum adhuc dubitanter indicat.

(33) En relate ad Hispanias divulgationis specimen. Agitur vel actum est de *crimine pessimo*;

a) in *Theologia Morali*, P. FERRERES, II, 699 NB 2, Barcelona (1940), p. 394, uti textu adhibita in longe maiori numero Seminariorum cum Hispaniarum, tum Americae-latinae. Idem dic de Inst. I. C., P. REGATILLO, licet non cum tanta amplitudine adhibitis.

VI. SUMMA DICTORUM

Aliae quaestiones practicae animum pulsant; sed nunc in earum expositionem non ingredimur: haec enim limites nostri laboris excederet. Satis igitur nobis sit attigisse *criminis pessimi*.

- 1° Definitionem, prout a S. Officio traditur;
- 2° subiectum et terminum seu complicem;
- 3° obiectum eiusque extensionem;
- 4° competentiam;
- 5° modum pertractandi eius causam;
- 6° obligationem denuntiandi reum et possibilem prudentemque modum illam exequendi;
- 7° poenas, quibus talis flagitii rei puniri possunt;
- 8° gravitatem specialem, quae in tribus illis criminibus inveniri potest;
- 9° aliqua de potestate Superiorum religiosorum hac super re;
- 10° casum forte contingentem accusationis clerici penes loci Ordinarium.

VII. CONCLUSIO PRACTICA

Ex his breviter delibatis satis clare apparet quam abominabilia et nefanda a nostra piissima et benignissima Matre Ecclesia haec delicta reputentur; quanto cum iure S. Officium ea sibi reservaverit, determinando simul modum procedendi in eorum punitione, et quanto tandem cum studio CLERICI omnes, divina ope enixe implorata maternoque B. V. Mariae praesidio suffulti, ab iisdem patrandis praecaveri debemus, vel iam a longe sedulo devitantes quidquid turpem ad illa viam aperire potest.

AURELIUS YANGUAS, S. I.

In Pontificia Universitate Salamanticensi Magister.

b) IN LECTIONIBUS THEOLOGIAE MORALIS: singulis annis in Universit. Salmanticensi; annis saltem alternis in aliis et in fere omnibus Seminariis.

c) IN EPHEMERIDE *Resurrexit* 5 (1945) 18. Sacerdotes e clero saeculari hanc subnotati superan numerum 10.900. Cf. *Ibid.* oct. 1944, p. 3, coll. *Memoria dec.* 1944. Mittimus alias minoris momenti divulgandi formas.

d) IN CONVENTU SACERDOTUM consiliariorum dioecesanorum A. C., anno 1943, Convadongae (Dioec. Ovetens.) habito. Huic conventui interfuerunt sacerdotes e fere omnibus dioecibus hispan., et ex quibusdam dioecibus plures sacerdotes. Mittimus, utpote minoris momenti, alios innumeris sacerdotum conventus in quibus sermo de *crimine pessimo* habitus est. Bene igitur notitia *criminis pessimi eiusque processus formae* inter clericum hispan. universaliter divulgata censeri potest.